

1511

*Hieronymi
Saorniani
in temp.
fides.*

*Veneri
viri
m
mag
h
V. k
ob.*

cessitus injuria ad Maximiliani duces profugerat, eosque rebus omnibus juvabat, auctorque illis fuerat, ut se Gradiscas conferrent. nisi tamen injuriam accepisse illum est existimandum, quod paucos ante menses coactis agrestibus hominibus clientibus suis magnam in civitate eadem fecerat, trucidatis plerisque honestissimis civibus adversariis suis, eorumque ædificiis incendio absumptis: ut neque jus, neque pudor, neque timor reipublicæ, neque magistratus, qui aderat, reverentia continere illum potuerint. quod tamen ejus consilium apud consobrinum suum Hieronymum Saornianum tanti non fuit, ut eum ab officio atque ab amore reipublicæ abduceret, nam cum ille suum in castellum, quod in Oso pio monte est loco alto atque edito, viæ, qua Germania plurimum aditur, imminens, quodque pridem has ad res magna sua impensa exædificaverat, se contulisset; ducesque Maximiliani ad eum misissent, uti se dederet, eique necem & incendium exemplaue ultima interminati essent, nisi paruisset: spre- tis eorum minis se ad defensionem forti & constanti animo comparavit, literasque ad Senatum ea de re dedit, pollicitusque est Patribus, nihil se indignum suis majoribus, nihil a reipublicæ erga se charitate alienum, nihil Antonii rebus simile commissurum, quibus acceptis literis Patres Joanni Viturio, Taurisi qui erat, mandaverunt, ut Oso pium evestigio cum quadringentis equitibus contenderet Hieronymo auxilium laturus. Cumque dies comitiorum senatoribus sexaginta creandis venisset, Hieronymus Saornianus pluribus suffragiis, quam ullus alius, est senator renunciatus: tantum civitati in tam turbidis reipublicæ temporibus, optimus in illam Hieronymiani- mus gratus & jucundus fuit. Iidem Patres cum fisco debentes in tot eos latis legibus non tamen in ararium conferrent: ad eas leges, de quibus in superiore libro dictum est, aliam etiam in Senatu legem sciverunt, quæ paulo post majoribus in comitiis est perlata: qui magistratus vel sint, vel futuri sint, afferant singuli reipublicæ scribis fidem quatuor magistratuum scripto confirmatam, Trium-

virum